Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26040
Copyright: Admont, Benediktinerstift



acceptor deus, sed in omni gente qui timet dominum et operatur iustitiam, acceptus est illi.
gitur et hic ubi tam de mundis quam de immundis animantibus masculum et femi
nam in archam iubentur admitti, iam illud deus praesignavit quod postea PETRO
ostendit, scilicet nullum genus hominum a gratia dei reici, sed creatori omnium accep
tam fore fidem vel confessionem cunctorum. Et notandum quod eorum scilicet omnium
animantium admissio quater in hac lectione repetitur, ut videlicet
a quatuor partibus mundi collectio futura praesignetur.

Quisque ordo quanto artior, tanto et celsior; vel e converso quanto quisque laxior, Ca. 1
tanto et humilior; et quanto altior, tanto angustior: ut verbi gratia viduitatis
propositum quanto coniugali castitate artius, tanto et meritum eius altius. Et virgina
lis propositi decus quanto altius, tanto et in paucioribus invenitur. Qui ordo quia unum
quod est necessarium liberius exequitur, pulchre uno summitatis cubito eius dig
nitas designatur. In huiusmodi ordinibus mystice completur manifestius quod dictum
est: cenacula et tristega, id est tricamerata in archa facies. Nec vero cuiquam incredi
bile videatur tantae capacitatis archam de lignis bituminatis potuisse
fieri, cum de lapidibus cementatis civitates immensas constet extrui, praesertim cum
non uno aut duobus, sed totis centum annis opus peractum sit. Praeterea ne de pauci
tate cubitorum causeris, habent geometrae cubitos maiores, ita ut unus
illorum sex contineat cubitos communes. Et Moyses qui eruditus erat omni sapi
entia Egyptiorum, utique cubitos geometricales computasse credendus est.
Q Quod si ita est, estimari non potest quantae capacitatis archa illa fuerit, tot cubi
tis tam magnis in longitudine, latitudine, altitudineque porrectis,
ut tot generum animantia bina et bina, septena et septena sufficientibus
spaciis explicare quiverit. Quid tandem est ostium in latere huius archae deor
sum positum? Utique salutare baptismi Christi sacramentum, quod de patefacto eius late
re manavit, sine quo ecclesiam ingredi vel a peccatis suis nemo potest eximi.

Quare autem carnem cum sanguine non comedetis? Sanguinem enim inquit
animae vestrae requiram. Mira argumentatio, nec vana tamen sed gravissima,
qui cum proposuisset de sanguine pecorum: carnem inquiens cum sanguine non co
medetis, rationem continuo subiunxit de sanguine hominis. Valet enim
ad augendam estimationem sanguinis humani, ut videlicet non leve quis
arbitretur sanguinem hominis inter inscientia ponere, cum sanguinem
pecudis non solum liceat in os forinsecus mittere. Idcirco et per legem denuo man
datum, ut quando locus sanctuarii procul esset, funderetur in terram victimarum
sanguis, earum scilicet quas in proprios esus praeparabant; quando vero sanctuarium praesens
esset, funderetur in altari. Sic est in libro deutronomii. Sanguinem hostiae